

schemen) *propter eximiam*, ut idem ille loquitur, *nobilitatem*. Est enim reverà Dominus seu princeps olei. Atque, ut Plinius ait lib. 12. H. N. c. 25. omnibus odoribus præfertur. Sic, ut Exod. 30. 23. *omnium aromatum præstantissimum dicatur*. Bahal verò, *dominatus est*, (unde Bahal, Dominus nimirum, & idoli nomen, quod Domini Numinisque instar, Judæorum Idololatræ venerati sunt, descendit) *Schaman* verò, *pinguis fuit*, inde שמן oleum, *pinguedo*, & שמן *pinguis*, Latinorumq; Scammonia, herba pinguis ac racemosa oritur) *significat*. Sed de his alibi. Nos Balsamum ipsum & opobalsamum subodora-
bimur.

§. II. Oritur verò non proletaria, in limine instituti nostri, quæstio: *Utrum in natura rerum superstes adhuc sit prisca & genuina nota balsamum ac opobalsamum?* Pro negativa etenim sententia adduci poterant *Petrus Martyr, Anglerius à Patria dictus, Orator Ferdinandi & Isabelle, Hispaniæ Regum Consiliarius, ex suis, quas scripsit, decad. de rebus Oceanicis & Novo orbe, & antiquum Josephi Pliniique documentum. Anglerium secutus Hieronymus Cardanus fuit, dum contra balsami ulteriorem existentiam in sequentia rescripsit: Erat & olim balsamus in pretio. Constat fuisse arbustum sansuci quidem folio, atque ex eodem genere ferme nec ulla res ei propior, Jasemino, planta non valdè absimili. Sed periisse arbusta omnia penitus affirmat Petrus Martyr, Angerius civis noster, legationis vice functus, pro Regibus Hispanorum, apud Sultthanum Ægypti Dominum, annis abhinc penè quinquaginta. Referunt alii adeò propagatum, ut passim in hortis Chairi habeatur. Sed cur Angerius (an repetitâ vice vitium typographi fortassis? Anglerius enim ab Anglaria vel Angleria Insubrum, in agro Mediolanensi, urbe dictus est.) Regibus suis, quibus opus inscribit, mentiatur, aut in re tanti momenti oscitaverit, non video. Illud satis constat omnium testimonio, etiam eorum, qui propagatum esse volunt, jam ab eo tempore, neque fructum neque lignum, nedum succum illum celebratissimum ad nos deferri. Unde verum balsamum interiisse existimandum est, suppositum verò, ejus loco, plantans aliam, incolarum ambitione, vel avaritiâ.*

lib. 8. subtilit. de plant. fol. 249.

§. III. Plinii